

**Theses medicae peri tes pepseos / quas ... praeside D.D. Io. Casparo Bauhino ... publico philiatron examini ad d. IX. Jan. M D C LVI proponit Hieronymus Bauhinus.**

### **Contributors**

Bauhin, Johann Caspar, 1606-1685.

Bauhin, Hieronymus, 1637-1667.

### **Publication/Creation**

Basileae : Typis Georgii Deckeri ..., [1656]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tvdydedw>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



THESES MEDICAE

ΠΕΡΙ ΤΗΣ

ΠΕΥΕΩΣ

QVAS

DIVINA ANNVENTE GRATIA

PERMISSV

NOBILISSIMI ET EXCELLENTISSIMI  
COLLEGII MEDICI VNIVERSIT.

BASILIENSIS

PRAESIDE

D. D. IO. CASPARO BAVHINO

PROFESS. ORD. MED. FACVLT.

DECANO

PVBlico ΦΙΛΙΑΤΡΩΝ EXAMINI

AD D. IX. JAN. cId Idc LVI.

PROPONIT

HIERONYMVS BAVHINVS

BASIL. A. L. M.



---

BASILEÆ  
TYPIS GEORGII DECKERI  
ACAD. TYPOGRAPHI.







# ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΠΕΨΕΩΣ

## THESSIS I.

**Π**ΕΨΙς ἀπὸ τῆς πέπλεω, Græcis dicitur, ut  
Latinis Coctio à coquendo.

### I I.

Generaliter autem vox hæc sumitur pro quacunq;  
concoctione, mutatione in melius, aut præparatione  
aliqua, &c. Ita fructus, cibi & alia coqui dicuntur. Sic  
quoque per metaphoram dicitur coquere bellum,  
consilia, iras, &c.

### I I I.

Est autem actio caloris, quâ humidum cum sicco  
per alterationem, ad convenientiorem æquabilita-  
tem substantiæ & qualitatum reducitur.

### I V.

Hinc concocta dicuntur, quæcunque justam sub-  
stantiæ, aut qualitatum constitutionem ac terminum  
assecuta sunt.

### V.

Cruditas concoctioni opponitur, orta ἐκ τῆς ἀδυνα-  
μίας caloris, conantis humidum ad æquabilem sicci-  
tatem reducere.

### V I.

Cruda appellantur, quæ nondum eos perfectionis  
gradus, nec elaborationem acceperunt, quam pro sua  
natura assequi potuissent, ob defectum caloris, humi-  
dum non rectè moderantis, ita ut vel ad nutritionem,  
vel saltem ad expulsiōem apta sint, nec naturæ mo-  
tui obediunt.

### V I I.

Specialiter illam maximè mutationem significat,



quâ ea, quæ assumuntur, idonea fiunt, siue sint cibi, siue medicamenta: ejusque variæ sunt species, ut elixatio, affatio, frixio, &c.

### V I I I.

Tandem strictius adhuc, ex macrocosmo ad microcosmum transfertur, illa nempe concoctio, quæ in humano corpore fit.

### I X.

Consideranda autem, in statu ejus tam secundum, quam præter naturam.

### X.

Ibi, est actio facultatis naturalis, beneficio caloris nativi facta, quâ alimentum in propriam ejus, quod alitur naturam convertitur. Unde ejus patet Materia & Forma.

### X I.

Efficiens causa est facultas concoctrix, quæ proprio & nativo calore utitur tanquam instrumento.

### X I I.

Finis, assimilatio, alimenti que in propriam substantiam corporis conversio.

### X I I I.

Concoctiones in corpore humano sunt tres: χύλωσις, αἱμάτωσις, ὁμοίωσις.

### X I V.

Prima, χύλωσις, præparationem accipit in ore, ubi inter masticandū, haud levem subit mutationē cibus.

### X V.

Perficitur in ventriculo, tum propria ingenta que ἰδιοσωκρασία, tum calore naturali, tum etiam partium circumjacentium calidis fumarum beneficio.

### X V I.

Cibo ita concocto & in chylum mutato, πλωρὸς



dextrum ventriculi orificium recluditur, per quod in tenuium intestinorum anfractus delabitur & si quid minus coctum simul exeat, ibi planè perficitur.

#### X V I I.

Ex tenuibus intestinis, laudabiliorem partem venæ mesenterii in hepar ferunt. Quod vero inutile est, in intestina crassa detruditur, quo simulac pervenerit, *διποπτήμα* & alvi fæcum appellationem sortitur, ibique retinetur, donec copiâ & acrimoniâ stimulante, per alvum excernatur.

#### X V I I I.

Secunda concoctio, *αἱμάτωσις*, cujus præparatio in venis mesaraicis, facultate ab hepate acceptâ, ubi *αἷμα* *ἁμυδροῦν* *εἶδ* tribuitur.

#### X I X.

Hinc in hepar infertur chylus, ibique elaboratur, & insita jecoris proprietate in sanguinem convertitur.

#### X X.

In hac, triplicia à massa sanguinea segregantur excrementa, crassum unum, biliosa duo & serosum.

#### X X I.

Crassior & fæculentior pars ad lienem abit, illiusque optima portione nutritur: reliquum alendo inutile, per vias convenientes, excernitur.

#### X X I I.

Biliosum, vel purum est vel permistum: illud vesicula biliaria ad se rapit: hoc vero rectâ, per porum biliarium, ad intestini jejuni principium fertur.

#### X X I I I.

Serosum humorem renes, per vasa emulgentia ex vena cava & arteria magna attrahunt, & per ureteres ad vesicam urinariam transmittunt, ubi quàm primum ac continetur, urina vocatur, indeque à facultate excretrice expellitur.

#### X X I V. Ter-



## XXIV.

Tertia concoctio, ὁμοίωσις in singulis partibus fit, cū id quod sibi decesit, restaurari cupiunt, naturali quæ appetentiâ motæ, idoneū sibi quævis sanguinē attrahunt.

## XX V.

Ad hanc tres requiruntur gradus, summe necessarii, quibus humores secundarii dicti indigitantur: πρόσθεσις nimirum, πρόσφυσις & ὁμοίωσις, quibus & præparatio & perfectio absolvitur.

## XX V I.

Πρόσθεσις, appositio, cū sanguis ex venis excidens, roris modo, apponitur. Πρόσφυσις, agglutinatio, cū sanguis effusus, instar glutinis, partibus adhæret. ὁμοίωσις, assimilatio in specie dicta, cum sanguis, in propriam cujuslibet partis substantiam convertitur.

## XX V I I.

Quod in hac concoctione inutile est, id per πόρος cutis expurgatur, vel per insensilem transpirationem, vel per sudores, vel per fordes & strigmenta cutis.

## XX V I I I.

Singulæ præterea ferè partes in hac concoctione sua habent excrementa, ut oculi λάματα, aures κυψέλαις, cerebrum βλένναν, &c.

## XX I X.

In statu præter naturam, concoctio est humorum morbum efficientium maturatio & evictio.

## XX X.

Hoc autē sensu, non solum ii humores coqui dicuntur, qui præter naturam crassi existentes, attenuantur, vel tenues incrassantur, vel duri emolliuntur: sed & in putredine præcipuè elucescit hæc concoctio.

## XX X I.

Hæc proprie vocatur πεπισμός maturatio, est quæ incipit



incipientis putredinis in humoribus evictio & repressio ejus, quod nocet, à calore partium nativo facta.

XXXII.

Hocque modo concoquuntur humores putrescentes, utraque bilis & pituita, sanguini adhuc in vasis permixti.

XXXIII.

Hujus quoque generis est suppuratio ἐκπόησις, quâ humor è vasis elapsus & corruptus, à natura partis alteratur, putredoque, cohibito caloris præter naturam impetu, reprimitur, qualitatesque rebelles vincuntur.

XXXIV.

Talis concoctio humorum fit præsertim, ut id quod utile permixtum habent, in partis substantiam convertatur, reliquum verò expulsiōni commodum reddatur.

XXXV.

Concocta siquidem πέποινα, ex Hippocratis decreto educenda, μὴ ὤμα.

XXXVI.

Humorum verò concoctionem, significant maxime excrementa, ut dejectiones, urinæ, sputa: omnia si legitimam consistentiam sunt consequuta.

XXXVII.

Cruditatis contraria sunt signa: alvi, exempli gratia, excrementa tenuia, urina aquosa, sputum tenue.

XXXVIII.

Hinc etiam morbus crudus nuncupatur, cujus materia propriè est cruda, id est, cujus humor morbificus à natura conante ipsum alterate, nondum est evictus, nec in statum meliorem redactus.

XXXIX.

Ex dictis excrementis, dejectiones, ventris inferioris

ris



ris præcipuè concoctionem & cruditatem denotant: urinæ, venosi generis: sputa, eorum humorum, qui organis respirationis continentur, &c.

X L.

Optimè quinetiam signa hæc, morbi tempora (*ῥῆξις, Πιέσις, ἀκμὴ & ὀξυκμὴ*) imo melius, quàm ulla alia monstrant.

X L I.

Concoctionis signa, salutem plerumque portant, morbiq̃ue brevitate m annuntiant.

X L II.

Cruditatis contra, semper sunt deteriora, morbiq̃ue longitudinem significare ut plurimum solent.

X L III.

Cruda igitur in morbis, ante omnia coquenda: & nisi suâ sponte sufficiat natura, opera Medici adjuvanda.

X L I V.

Cuncta autem, quibus Medicus concoctionem juvare potest, ad duo capita reduci possunt: nempe I. ad ea, quæ materiam aptam reddunt, ad passionem atque assimilationem, vel saltem excretionem. II. ad ea quæ efficientem causam roborant, ut facilius evincat & assimilet.

X L V.

Prius præstabit, crassa præter naturam idoneis medicamentis attenuando, viscida incidendo, tenuia incrassando, dura emolliendo, putrida coërcendo.

Posterius iis, quæ nativum calorem conservant ac roborant.